

- Concesso enim uno, conceduntur omnia ad unum illud necessaria *Barbosa locupletet. cap. 38. Axiom. 16.* Quæritur verò: Si ad ædificationem furni peculiari concessione opus quis habuerit, an sine eâ destructum reædificare possit? Affirmantium Sententiã ex sequenti ratione tueor; (I.) Quoniam ista facultas semel legitimè quæsita avelli ab eo rursus haud debet *l. f. ff. de pact.* Concedens enim potestatem ædificandi furnum, non videtur ad præsentem furnum respexisse, sed ad perpetuam impetrantis utilitatem; concessionem enim in hujus favorem latissimè sunt interpretandæ *l. 9. ff. de constit. Principũ.* (2.) Qui re ædificat, non facit novum furnum *l. 1. §. 13. ff. de Op. nov. Nunc. Et ibi Habn. ad Wesenbec. n. 6.* Itaque nihil facit, quod novã Concessione opus habeat; Dum enim ædificandi furnum, quod plus est, destructum quoque reædificandi, quod minus est, facultatem impetrasse censendus est *cap. 53. de R. J. in. 6.* Accedit (3.) favor reædificationis; pertinet enim ad decus Urbium, ne ædes derelinquantur *l. 20. §. 10. ff. de Op. nov. nunc. l. 2. §. 17. Et I. fin. ff. ne quid in loc. publ. Gail. de Pignoration C. 20. n. 5.* favores itaq; ampliari, odia verò restringi convenit. *c. Odia. de R. J. in 6to.* Ampliatur prædictũ Axioma; ut in suo quilibet ædificare furnum possit, etiamsi. (II.) In fundo tantũ utile dominium habeat, tum quod nusquam hoc expressè sit prohibitum, talia verò concessa esse intelligantur *l. 28. §. 2. ff. Ex quib. caus. Major.* Tum quod meliorem liceat fundi conditionem facere non deteriore. *l. 13. §. 5. ff. de U. sufr.* Quod attinet itaque (I.) Vasallum; habetur is in re feudali pro domino *2. F. 8. §. Rei autem Et 2. F. 13.* Unde plenissimè feudo utitur fruitur, & de ejus proprietate quoq; participat; quemadmodum itaque Dominus liberum rerum suarum habet arbitrium, *l. 21. C. Mandat.* Sic Vasallus

lus